

# INCIPIUNT ISAGOGE PORFIRII;

um sit necessarium grisarori et ad
eam que est apud aristotilem pre
dicamentorum doctrinam nosse quid ge
nus sit quid differentia · quid que species · quid
proprium · et quid accidens · et ad diffiniti
onum assignationem · et omnino ad ea
que in divisione vel demonstratione
sunt utilia · istarum rerum speculatione
compendiosam tibi traditionem faciens
temptabo breviter velut introduc
tionis modo ea que ab antiquis dicta
sunt aggredi · ab altioribus quidem
questionibus abstinens · simpliciores
vero mediocriter coniectans. Mox de
generibus et speciebus illud quidem sive
subsistant sive in solis nudis purisque in
tellectibus posita sint · sive subsisten
tia corporalia sint an incorporalia · et utrum separata a sensibilibus
an insensibilibus posita · et circa ea consistentia · dicere recusabo.
Altissimum enim est huiusmodi negocium · et maioris egens inquisitionis.
Illud vero quemadmodum de his ac de propositis probabiliter antiqui tractaue
runt et horum maxime peripathetici · tibi nunc temptabo monstrare.

Videtur autem neque genus neque species simpliciter dici. Genus enim
dicitur et aliquorum quodam modo se habentium ad unum aliquid · et
ad se invicem collectio · secundum quam significationem romanorum dicitur genus
ab huius scilicet habitudine dico autem romuli · et multitudinis habentium
aliquo modo ad invicem eam que ab illo est cognationem · secundum divisionem
ab aliis generibus dicte. Dicitur autem et aliter rursus genus · quod est
uniuscuiusque generationis principium · vel ab eo qui genuit · vel a loco
in quo quis genitus est. Sic enim horestem quidem dicimus a tantalo
habere genus · illum autem ab hercule. Rursus quod pindarum thebanum esse
genere · platonem vero atheniense. Et enim patria principium est uniuscu
iusque generationis quemadmodum pater. hec autem videtur promtissima
esse significatio. Romani enim sunt qui ex genere descenderunt romu
li · et cecropide qui ex genere cecropis · et horum proximi. Et prius quod ap
pellatum est genus uniuscuiusque generationis principium dehinc et multi
tudo eorum qui sunt ab uno principio ut a romulo. Namque dividentes
et ab aliis separantes dicebamus omnem illam collectionem esse romanorum
genus. Aliter autem rursus genus dicitur cui supponitur species ad horum for
tasse similitudinem dictum. Et enim principium quoddam est huius
modi genus earum que sub ipsa sunt specierum. Videtur etiam multi
tudinem continere omnium specierum que sub eo sunt. Tripliciter ergo
cum genus dicatur de tertio apud philosophos sermo est. Quod etiam des
cribentes assignaverunt genus esse dicentes quod de pluribus et dif
ferentibus specie in eo quod quid sit predicatur ut animal. Eorum enim
que predicantur alia quidem de uno solo dicuntur sicut individua ut
socrates et hic et hoc. alia vero de pluribus quemadmodum genera · et species
et differentie · et propria et accidentia communiter sed non proprie alicui. Est autem genus
quidem ut animal · species vero ut homo. differentia autem ut rationale. accidens ut album
nigrum sedere. Ab his ergo que de uno solo predicantur differunt genera

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT

http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2282/0005

Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt